



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

Præsentatio B. Mariæ V. 21. Novembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

à tabo longè post repertum ajunt; quin  
barbæ capitilque pilos succrescentes  
quotannis detonsos esse. Et dubitabimus  
porro virtutem etiam post mortem vi-  
vere? *Ex Surio.*

*Sicut Christi milites, deposito corporis  
animaque corpore, virtutum procedamus  
ad campum: dedimus corpori annum,  
demus animæ dies: impendimus nobis  
tempora, tempus deputemus auctori, vi-  
vamus DEO paululum, qui saculo vi-  
ximus totum. S. Pet. Chryl. l. 12.*

PRÆSENTATIO B. Mariæ V.

21. Novembris.

**H**Eus! ad spectaculum hodiernum  
omnes vos in orbe parentes voco,  
liberos omnes. Ne dubitate oculos ad-  
ferre, cum, ut hos pascant, effundere  
se cælo, & convolare Superos videam,  
videam arridere, acclamare audiam.  
Ecce *Trimula Virguncula*, Iudææ deli-  
cium, patris & matris amor, spes  
familiæ unica, unica fessæ ætatis virga,  
hæc inquam talis ac tanta, è parentum  
sinu & brachiis non ad Veneris alicujus  
gynæceum, non ad nuptias, quas cunis  
promittere amant patres; sed ad castissi-  
ma vota, ad templi adyta deproperat,  
et volatque ad aram, ipsa mox templum,  
ipsa Numinis ara futura. Assentiun-  
tur interea Ioachimus & Anna, & filiæ  
Zz 5 sibi-



fibi que plaudunt. Quid hic nostras atas !  
Nimirum pereat flos virgineus , ne stirps  
avita : intereat pudor , ne familia. La-  
erimentur Angeli , modò nepotes ri-  
deant. Si vacuum incolis cælum , modò  
domus non heredibus. Si quid pulchrum  
in liberis , si quid ingenuum & liberale,  
aula hoc debetur genio , mundi servitio  
mancipatur & carnis amplexibus. At si  
quid monstri nascitur illud demum , a-  
junt , in claustra Religiosa (desertas in-  
fulas cogita) exportetur. Si quid bardum,  
blæsum luscum , claudum , hoc hoc cæl-  
là occultetur , silentio monástico corri-  
gatur , cucullo abscondatur , togâ invol-  
vatur. Deus sibi habeat , quod nemo ho-  
minum velit : Christus domum ducat,  
quas thalamo omnes terræ filii exclu-  
dunt. Erubescite parentes , & ruborem  
vestrum in speculo , in vultu Ioachimi  
& Annæ , hodie corrigite.

MARIAM ô fidelis anima imitare. Castis  
Deo inhere amplexibus , devotionis gemitus  
emitte , amoris prome carmina , & igni  
laudis sacrificium exolve : eris procul-  
dubio pudicissima turtur eò speciosior , quo  
frequentius his amoris preludiis inharebis.  
B. Laur. Iustin. in F. Pur. B. M. V.